

HARTMANNVS ANTISTES AVGVSTANVS.



Hartmannus ex illustri familia comitum de Kiburg & Dillingen natus fuit, atque tādem ultimus in eo genere extitit. Pater eius Hermannus, atque mater Vuipurgis eum optimis præceptoribus instituendum tradiderant, atque hoc modo effecerant, ut in uirum doctissimum euaserit. Itaque cum Syboetho præsul Augustanus uita functus esset, Hartmannus in eius locum Episcopus creatus fuit, anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Hactenus antecessores ipsius aliquandiu fastum exercuerant, atque plurima loca ab Ecclesia alienarant, aut certa pecunia oppignorarant. Itaque Hartmannus cum nemo ex sua familiā supereisset, suum patrimonium (comitatum Vuitislingē ad urbem Vuerdt usque) Augustanæ Ecclesiæ dono dedit. deinde monasterium Medlingē circa Dillingen uirginum instituit, atque Xenodochium Augustæ fundauit.